



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 180. Arragonum Regis Legatus Constantiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](#)

hil tamen conclusum fuit. Præterea ad Sæcul. XV.  
instruenda Hieronymi Pragensis acta, A. C. 1416.  
deputati fuere Commissarii.

§. CLXXX.

*Arragonum Regis Legatus Constan-  
tiæ.*

Die 28 Februarii Legatus ab Arrago-  
niæ Rege ad Concilium missus Con-  
stantiam venit, & secunda Martii in  
Congregatione Generali ad alloquium ad-  
missus est. Postquam prolixam habuif-  
set orationem, binas obtulit Epistolas,  
unam ab Imperatore, alteram a suo Re-  
ge Ferdinando scriptam, quæis perlectis  
compertum fuit, subtractionis negotium  
præter expectationem tardius procedere,  
& Castellam, Navarram, & Fuxiensem  
& Armeniacensem Comitatus adhuc-  
dum, licet multo remissius, Benedicto  
adhærere, ast spes allata est, fore, ut bre-  
vi totum opus perficiatur. Reliquum  
mensis Martii in pertractanda Joannis  
Parvi cauffa insumebatur, licet nihil ad-  
huc decidi potuerit, insuperhabitum etiam  
literis a Carolo VI. Rege ad ejus Lega-  
tos datis, quibus novem propositionum  
damnationem omnibus modis urgere ju-  
bebantur. Conquestus erat Rex de trium  
Cardinalium ausu, quo Parisiensis Episco-  
pi sententiam nullam pronunciarunt. Iis-

Sæcul. XV. dem quoque Legatis plena data est potestas strenue aggrediendi, quicquid ad obtinendam tam Generalis asserti, quam particularium novem propositionum damnationem, opportunum, necnon ad irritandam Cardinalium, & confirmandam Parisiensis Episcopi sententiam, necessarium judicaverint.  
A.C. 1416.

## §. CLXXXI.

*Legati Gallicæ contra gesta in cauſſa  
Joannis Parvi excipiunt.*

Gerson. l.cit. p. 548. **C**um Commissarii in hac cauſſa conveniuntus suos hucusque, inconsultis Galliæ Legatis egissent, hi contra omnia habentus a Commissariis actitata reclamabant, & ab eorum sententia ad Concilium seu sedem Apostolicam in quadam Congregatione Nationis Galliæ, cui Joannes de Curtacoxa præfuit, appellabant, pendente appellatione nihil innovari postulantibus. Evidem Episcopus Atrebatenſis hanc appellationem acerbe insectatus est in quodam libello, quem Nationis Gallicæ Deputatis die 23 Martii porrexit, sed Legati huic responderunt; Episcopo itidem replicante, multis ultro citroque aculeatis verbis pugnatum est. Post hæc Oratores Ducis Burgundi & Commissarii ad cauſſas hærefum deputati actionem injuriarum contra Joannem Morinum